

alpinam transgressuros Veronæ magistratus significabat . Id si accideret , Levæ copiis adjunctos , agros omnes direptione , incendiis , vastitate deformaturos . His quæcumque in Romanam expeditionem molirentur , retardari posse : Mediolano in potestatem redacto , Germanos milites ab Italia animos aver-suros , nullius studio , ac solicitudine evocatos , nec tutum , quo se reciperent , locum habituros , non equitatum , non commeatus , non tormenta , & alia , quæ copiis alendis , & instruendis summopere necessaria sunt ; Italæ spes omnes de-serturos . Atque his a suscepta sententia Lautrechium amove-re Senatus adnitezbatur . Eadem in Galliis in Regis consilio agitata orator Senatui significaverat ; ac licet Franciscus an-ceps consilii videretur , in eam tamen propendere præcon-sul-tores fere omnes videbantur ; nuntio præfertim de Ticini ex-pugnatione accepto , parvum numerum hostium , rerum o-mnium inopiam , militum ægritudines , Antoniū Levæ vitam prope ad extremum deductam intelligerent . Attamen Rex , ut quid sibi magis summæ totius rei conducere videretur , Lautrechius decerneret , permisit . Lautrechium nihil a pro-posita sententia remorari poterat ; atque illius consilio jam evulgato , vires cogere Cæsareani Romæ cœpere , Hispanis mi-litibus Germanos adjungere ; neque exiguis subnixus argumen-tis sermo ferebatur , Clementem in Neapolitanum regnum abductum iri . Hæc animos Patrum summopere solicitabant ; cum præcipue quotidie de Ferdinandi Caroli Imperatoris fratri Italica expeditione nuntii advenirent , quem post prælium ad-versus Joannem Transilvaniæ Principem feliciter gestum viginti peditum millium delectum haberi jussisse pro certo haberetur , illosque quamprimum in Italiam missurus diceretur .

Tandem decrevit Lautrechius , ut Reipublicæ copiæ , quæ in Hetruria detinebantur , in Galliam Cisalpinam evocarentur , ipse in Hetruriam cum reliquo exercitu transiturus , cui trecenti equites levioris armaturæ Venetorum stipendiis adjungeren-tur . Summa vero Lautrechii exercitus hæc futura erat ; pe-ditum quindecim millia regio ære militantium , sex Floren-tinæ Reipublicæ peditum millia , Helvetiorum quantum con-ducere videretur , quorum stipendia pro dimidia parte a Re-ge , altera a Venetis persolvebantur ; Germanorum quoque

*Rumor de  
Ferdinandi  
Austriaci  
in Italiam  
adventu.*

*Lautre-  
chius in  
Hetruriam  
proficiet  
tur.*